

tyrannidis, &c. 2. Sam. XV, 3. seqq. Nam tempus præsens exprimitur participio, q. d. es will des. Wesens kein Ende werden / carbo carbonem incendit, surgens fluctus unus surgere secum facit abripitque simul alterum.

EXPLICATIO VERSUS III.

dicentes :) particip. pro præsenti: dicunt. Excitant quasi hostes sese mutuô, animantque ad capessenda arma contra desertum à Deô. Imò non verentur mihi talia in os objicere, si mecum loqui datur occasio. confer 2. Sam. XVI, 8.

לְנַפְשֵׁי animæ meæ :) Luth. von: sic (ל) Genes. XX, 2. אֶקְרֹר לִי dic de me: Psalm. XCI, II. angelis לְךָ de te &c. Psalm. XLV, 2. sic etiam Feli-nus, Kimchi, Vatablus, Aben Esra Rasche: עַל בְּעֻבּוֹר Ebertus in anim. b. l. accipit pro notâ dativi; dicunt animæ meæ; q. d. præcordia quasi his sarcasmis sibi transfigi. Hoc modò *Animæ* emphasi non careret, siquidem aculeata hæc verba ferrent non solas aures, verum nobilissimam Davidis partem, vel ipsammet penetrarent animam. Verùm num multi adeò coram hoc objecerint, Davidi, & non potius de eō absente sic differuerint, dubium omnino est. Alias *Animæ* ponitur syne dochicè pro totô animatô; quô modò sensus emerget; dicunt mibi, vel potius de me.

אֲנָו nion:) vel nullum prorsus; est particula negativa אֲנָו quæ formam regiminis suscipit אֲנָו (ad formam nom. אֲנָו) & tunc cohæret cum sequentibus. Alias forma אֲנָו pendet à præcedentibus, ut Exod. XVII, 7. An Dominus in me-dio nostri, אֲנָו אֲנָו annion? &c. Si ante nomina ponatur, tunc per ellipsis verbi substantivi negat totam ac certam speciem; ut Gen. XX, II. nullus timor Domini &c. Prov. XXI, 10. עַזָּה אֲנָו nullum consilium contra Dominum: ita & h. I. denegant Davidi omnes auxiliū veri modos ac species. confer Pistor. encb. gr. p. 732. seq. Tale alijs dicterium nequam habes etiam in Cafin. a. 2. sc. 5. vers. 39. ubi Stal. *Diis sum fatus, Deos speravimus.* O L Y. non ego istud verbum emissim titivitatio, nam omnes mortales. *Diis sunt fates, sed tamen vidi ego Diis fates sapè multos decipi.*

auxilium :) est fœm. cum duplicita litera (ח) ad roborandam significationem: ut Jon. II, 26. Ita צְרֹתָה maxima angustia, Psalm. CXX, I. &c. Sensus est ergo; utut vir fugitus hic anteā singularem præ se tulerit pietatem, multaque subinde opem adeptus fuerit cœlitus, hæc tamen vice, ob facinora patrata non una, metuere non habemus de Dei contra nos sub-sidiō; prorsus non est ei salus reliqua in Domino, non solùm destituitur auxiliō præclarō ac nota-bili, verùm etiam mediocri & qualicunque.

ei:) scil. animæ: nam נַפְשֵׁה est gen. comm. Syrus: non est tibi salus in Deo tuo; mutatā personā tertiatā in secundam.

בְּאֶלְ�הִים in Deo :) quem scil. adulterio, homi-cidio, sceleribusque aliis haud parum haec tenus offendit. Est autem hic ellipsis verbi substan-tivi consveta: nulla salus ei in Deo, scil. est resi-dua. Luth. sic hat. Confer Jef. XXXVI, 7. ubi Hiskiae objiciuntur similia.

סִלְהָה) Vox hæc non nisi in Psalmis occurrit, & quidem 71. vicibus, semel vero prætereà Hab. III,

A 5. 8. 12. diciturque à Buxt. in Concor. esse vox pausa & attentionis. (vide ejusdem Lex. & Glass. I. 3. pag. 601.) quod ipsum quoque non parum con-firmatur inde, quod nuspiam, nisi in canticis, occurrat, adeoque ad musicam imprimis specta-re videatur. Si vero idem esset, ac in seculum, (uti vult Syrus, Chaldæus, Aquila, aliquæ,) vel, sic est, plane, maxime, &c. quid impediret, quo minus in aliis quoque scriptis adhiberetur? Fagius ad Num. V, 22. observat, tres esse voces, quibus Ebrai precentur rebus suis felicitatem & successum, videlicet *Sela*, שְׁלֹם & אַמְּנָה. Verum adhuc manet dubium, cur non extra carmina occurrat eō in sensu? vide sis Radman. στιχαγ. psalt. in fine Hieron. ad Marcellam. Bodin. demon. l. 2. cap. 4. de Dieu animad. h. I. Lutherus t. I. J. G. f. 479. ich acht / Sela sey ein Zeichen des Geistes / daß wo es im Psalter steht / daß da bedeutet werde ein stillhalten und tieff Außmercken / &c. Sic de pau-sa & attentionis notâ etiam Tarn. & Calov. anim. h. I. item Buxt. in lex. talm. Ex conjuncturis his, (hautenim opinor solidi quid afferri posse,) elige, quod probabilissimum. De græcorum τὸ διάφαλμα, quod primâ vice hic ponitur, vide Cor-derium fol. 42. & 52.

EXPLICA TIO VERSUS IV.

Sed tu: (1) sumitur adversative, ut Genes. III, 2. Psal. LXIV, 8. Prov. II, 22, &c. Allatis hostium objectionibus satis acerbis, animosam nunc David subjungit responsonem suam, quæ ipsummet audet adhuc compellare Deum, quem sibi infensissimum ingesserant obtrectatores.

כָּלְבֵּי clypeus:) undique corpus quasi sepiens vel claudens, à rad. כָּלֵב sepit, texit, operuit. Petit autem David hanc metaphoram è re præsenti mi-litari, ubi non parum prodest contra iectus atque tela clypeus impenetrabilis. Talis vero protector est Deus contra hostes tam animæ, quam corporis; quò clypeo recte solùm uti no-vit fides. Utut ergo hostis clamet, Davidi nullum apud Deum restare auxilium, v. 3. David tamen eodem Deo ait se pœnitentem pro clypeo usurum esse. Peccato equidem fuerat ab eō se-paratus; Jef. LIX, 2. verùm resipiscientiâ cle-mentem ipsum fuerat adeptus denuo.

בְּעֵד) Luth. für mich; est particula עד usque ad, cum aff. & præf. (ב) cum quô idem est, ac præ, ante, ut Genes. XX, 18. circa uterum: sic בְּעֵד Psalm. CXXXIX, II. De punctuatione vide pag. 139. 10. & 79. 2. Utut ergo undique contra Davidem instructæ starent phalanges, utut tela advola-rent confestim, attamen circa credit undiquaque constitutum Dei præsidium, tutelam ceu invictam.

כְּבוֹרִי gloria mea:) h. e. de te, Domine, possum gloriari, quippe qui crebram mihi das materiam gloriandi ob tua beneficia, tu pri-stinam dignitatem mihi potes restituere: Vatabl. esto; adversarios meos gloriari de suâ copiâ, astutia, armis, munitionibus præsidiisque aliis, mihi tamen gloria satis ampla est ipsemet Deus meus, tu veram gloriam mihi confers, adver-sus hostium calumnias & ignominiam: (meton. effecti pro effic. ut Psalm. XXVII, 1. Dominus Lux & salus mea: &c. vid. Glass. I. 5. pag. 23.) Hinc Lutherus, der mich zu Ehren setzet. Con-ferri possunt Genes. XLV, 13. ubi Joseph de suâ eminen-